

DISCURSUS ACADEMICUS,  
CERTITUDINIS.

POTIORUM QVORUNDAM, EX PRINCIPIIS PRIMIS PRACTICIS PROMANANTIUM, OFFICIORUM, SCIAGRAPHICUM EXHIBENS SPECIMEN;

*Quem,*

COLLABORANTE JESU,

ET

Bona cum Ampliss. Facult. Philos. in Regia hac Academia Aboënsi, censurâ,

SUB PRÆSIDIO,

AMPLISSIMI ATQUE CELEBERRIMI VIRI,

DN. M. JOHAN: BERNH:

WUNSTEN /

Philos. Pract. & Histor. Profess. Regii & Ordinarii, Hospitis ac promotoris sui æternum suspiciendi;

Ingenii exercendi gratiâ,

Doctorum Examini exponit,

CLAUDIUS CLAUDII JENDERJAN,

In Auditorio Maximo, die 20 Junij,

ANNO CHRISTI M. D. C. XCVI.

ABOÆ, Impr. apud Jo. WALLIUM, Reg. Univ. Typogr.

*Jamisch*

V I R O

Optimæ, in SACRAM REGIAM MAJESTATEM fidei,  
REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ac DOMINO,

DN. JOHANNI GEZELIO,  
S. S. Theol. Doctori Excellentif-  
simo, inclutæ Dieceſios Aboënsis EPISCOPO &  
Regiæ ibidem Academiæ PRO-CANCELLARIO, longe  
Eminentissimo, Conſistorii Eccleſiaſtici PRÆSIDI  
Graviſſimo, PATRONO Magno, humilimo  
mentis cultu, nunquam non de-  
venerando!



Rrogantiæ pariter ac audaciæ no-  
tam, memet, hoc ipſo incurrere  
poſſe, trepidus quaſi & anxius, ex-  
timeſcerem valdè, licet non teme-  
rario, ſed in pietatem & reverentiam effuſo  
auſu, Nomini Tuo, Pro-Cancellariæ Magne,  
undiquaque percelebri, hæc pagellarum in-  
ſcripſerim anguſtias; niſi de incredibili penè,  
Tanti

Tanti, erga literarum cultores indefessos, Patroni, satis superque meæ tenuitati, constaret favore: Cujus quoque præconiis ipsæ non solum Musæ personant, verum & universa illarum castra, constantissimâ circumfusâ fama, resonant, ut plenis etiam illam decantari buccis, ab universo literato orbe, exaudire mihi videar: Quare non mirum, si & Temet, O Patrone Magne, ego, eo confidentius nunc adire sustineo, quo magis, & spem, & fortunam meam, Tibi cordi esse, certissimis comperi indiciiis; adeoque impolito prorsus ac incompto huic, imo abortivo ingenii mei fœtui, ac studiorum primitiis, lumen de Tuo lumine mutuare, non dubitans. Hisce vota jungam calidissima, velit Sanctissima Trias, Tibi Reverendissime Domine Episcopo, Nestoreos, cum omni felicitatis successu conjunctissimos, largiri annos; quod ex intimo pectoris exoptat adyto,

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS ac DOMINI,  
DOMINI EPISCOPI,

*ad ultima usque fata,  
humilimus cliens,*

CLAUDIUS JENDERJAN.

Den  
Ehreborne och Wälachtade  
HandelsNannen/

Hr. CARL GERNERJAN/

Hinom Högårade käre Fader/

**N**å alt på Jorden rörs/ bör rätt och billigt skattas/  
Förnemst och ädlast ting; at oss det Lius en fattas/  
Som lærer känna Rätt/ hwad tucht/ hwad dygdigt är/  
Hwad enligt med Gud sielf/ des Lag och rätter skär;  
Ty om wij yncke - folck det steen en hade fångit/  
Utaf GUD milde hand/ hwem skulle här då gångit/  
På rätta Dygde Bahn? hwem skulle ålskat mehr/  
Hwad godt hwad Dygdigt är? än odygd; träck och Lehr;  
Jag gissar at man och/ mång owis siig had trampa/  
Der intet warit til/ Förnuftes brinnad lampa/  
Och sinnes klara Blås/ som är Naturlig Lag/  
Det hoos oss upstånd haar/ GUD effter sitt Behag;  
Och såsom allan tijd/ man sig i sticket skal éswa;  
Så wil iag denna gång hwad kraffren kunna/ pröswa/  
Men endast at min Plicht mot Ehr min Fader kär/  
Må skönias utan swis: wil Himblen mig och här/  
Wälsigna yttermehr/ och Ahren flere skänckia/  
Skal iag dem til Gud; Loff/ och Ehr til lydno länckia/  
I medlertijd uptag med gunstig hand min Saar/  
Hwad iag ensaldelig/ ensaldigt Ehr updraar.

Således recommenderar sin omogna  
sinne-frucht

CLAUD. JENDERJAN.



§. I.



vando nostros, per hæc sub lunaria, circumagimus animos, & rerum, quæ sub oculorum pariter nostrorum lumina cadunt, naturam, indolem & conditionem, seriâ penitentiam æstimatione; nulla certe majora iis deprehendimus beneficia, quæ DEUS Ter. Opt. Max.

humano generi, præ brutis animantibus contulit, quam ut nos, ab exlege illorum vitâ, exemptos esse voluerit; rationeque & oratione, ad declarandam ipsius excellentiam præditos, creaverit produxeritque in mundum. Bruta enim animalia, quippe cum hisce destituantur facultatibus, ita etiam diversissimas affectiones, ex diversissimo sensuum affectione promanantes, edunt, neque se, ad quid agendum, per facultates quasdam Intrinsicas, determinant, sed solummodo quantum, ut diximus, sensu moventur, ad id quod adest, quodque præsens est, se accommodant, cæcoque impetu ab objectis externis

A

alle-

allecta, modo uniformi ad ea feruntur. Solus autem homo, præstantissimum illud animal, præterquam quod intellectu, in rebus perspiciendis acutissimo, & voluntate, in diversa flexibili gaudet, non per externam vim aliquam Physicam, ad id quod intellectus bene dispositus, voluntati appetendum commendat, se exequendum movet; sed per facultatem intrinsecam, quæ nullam coactionem sentit, membra viresque suas, eidem operi perficiendo applicat. Nec enim tale quid in brutum aliquod animal cadere potest, sed in hominem duntaxat, cum is sit *particeps rationis*, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebus præsentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam, res præparat necessarias; quin ex collatione causarum, an ille ad regulam congruant, vel minus, judicare potest. Cic. de Off. lib. I.

## § II.

**V**erum enimvero, cum hisce prærogativis naturæ auctor tantummodo hominem donarit; ita etiam eidem, ne quid tantæ perfectioni deesset, legem indidit, juxtaquam, ceu ad normam illæ, componerentur actiones, in quas, homo sibi relictus, quatenus rationalis, propensus DEO. Ter. Opt. Max. visus est. Nisi enim hoc modo, variis malis fuisset occursum, certe nullus ordo, nulla societas, sed confusus status, adeoque is ipse miserrimus, etiam ejus, qui in

in perfectione summâ alias constitutus erat, man-  
 fisset; quin &, cum homine, ita fuisset compara-  
 rum, ut nisi & se, & suas actiones, neque suam, per  
 legem aliquam ullo modo circumscribi permetteret vo-  
 luntatem; summa imis profunderentur, omniaque  
 sibi invicem mixta, langvescerent ruerentque. Illa  
 autem cujus mentionem modo fecimus, nulla alia est  
 lex, nisi ea, quam quæ naturalis audit & re, & nomine:  
 delinearique solet quod sit *Justum a suprema & inde  
 pendente potestate DEO, homini per naturam impressum;  
 Conscientiam ejus ad faciendum quod rectum & honestum,  
 & fugiendum vel omittendum quod injustum & turpe, ob-  
 ligans.* a De cujus Legis principiorum practitorum, qui-  
 bus illa absolvitur, certitudine, paucis agere animi fert  
 sententia; idque potissimum hac ratione: ut primum,  
 An aliquod tale Jus detur? superficialiter videamus; de-  
 inde, ut ad dicta principia practica, eaque certa &  
 indubitata, ex certo & immutabili J. N. fonte strictim  
 eruenda, transitum faciamus; demum certitudinem  
 ipsam, illorum eorundem principiorum practitorum  
 infallibilem, & necessitate morali roboratam, pari-  
 quidem exponamus fide, at brevitate singulari.

§. III.

**A**ntequam verò huic operi manus admovemus no-  
 stras, necessum videtur, ut, An tale Jus revera  
 existat? paulo operiosius inquiramus; rejiciendo in  
 ipso veluti vestibulo illorum sententiam, qui id in ho-  
 minem cadere non posse, pertinaci suâ malitiâ ne-

gare non sunt veriti; acquiescentes vero in eà, quæ tale Jus actualiter homini inesse statuit. Et licet plurimi, quos recensere hac vice, grata quam nobis proposuimus, non finit brevitatis, in Contraria defendenda deludaverint acerrimè; tamen plus famæ & æstimationi illorum hoc detraxit opus & negotium, quam nomini addidit decus; quippe tela ab iis in alios explora, in ipsorum pectus adeo sunt retorta, ut suæ sic convicti fallaciæ, inanem se operam circa illud luisse, profiteri sint coacti. Statuere enim DEUM, nobis utcunque in mundum translatis, nullas indidisse leges, repugnat, & Divinæ providentiæ, & Justitiæ illius; nam sicut ille est noster Creator, & nos sumus illius Creaturæ, ita etiam voluit, (ne genus mutuis collisionibus interiret humanum, ferocitateque illa prorsus inhumana absorberetur) libertatem nostram certis circumscriptam, includere cancellis, legemque dare aliquam, quæ bonum, quod sibi placet, cognoscere, malum verò, quod ei displicet, discernere possit.

§. IV.

**E**t hæc lex, hominum mentibus in primâ Creatione non quoad *Divinam* sive potentiam tantum, quæ hominem aptum reddere potest ad tales notitias comparandas, est instillata, sed quoad ipsa quoque *veritatem* veritatis ac boni investigationes, quæ non alio modo cordibus hominum, nisi per naturalem impressionem, haud fecius ac Principum & Civitatum nonnullarum  
Leges



Leges, tabulis quandoque æneis aut aliæ cuidam materiæ durabili, inscribi solent, insculptæ hærent. Ea enim quæ hoc Jus dicitat, ejus sunt Indolis, ut *haud ambagibus sint implicata, sed quæ regulis æqui & boni suffulta, rudibus pariter & doctis patent*; Eurip. in Phæniss: Idcirco & se ad omnes extendit gentes, notaque est, non solum Christianis, sed & Gentilibus; unde Apostolus Paulus in Epistola sua, quam ad Romanos scripsit secunda, prorumpit in hæc verba: *Gentes quæ legem non habent, naturâ suapte faciunt ea quæ legis sunt, isti legem non habentes sibi sunt lex; ut qui ostendant opus legis mentibus suis inscriptum, simul testimonium reddente ipsorum Conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus. Certe, nulla enim anima est quæ ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur DEUS. Quis itaque legem Naturalem hominum mentibus inscribit, nisi DEUS?* Aug. l. 2. de Sermone Dom. in monte.

## §. V.

Idcirco nullus, rationem suam in Consilium adhibens dubitabit, quin hæc ipsa omnibus sit indita, omniumque infideat mentibus, neque enim ullo modo explanari potest, si vel maxime, eidem extirpandæ & obliterandæ, per totum vitæ tuæ studueris spatium; Latet enim hæc lex in animis quoque hominum nondum adutorum, veluti ignis sub favilla; quæ crescentibus ætate & viribus, suos incipit producere fructus, adeoque, ut, quoquo magis perversi homines radices ejus evellere satagunt, eo uberiori nos ex-  
hila-

hilarent proventu. Cui rei non parum lucis adfert id, sano sensu intellectum, quod Philo Judæus libro decimo in hunc dicit modum: *Lex mentiri nescia, est recta ratio, quæ lex, non ab hoc vel illo mortali mortalis, non in chartis aut Columnis exanimis exanima, sed corrumpi nescia, quippe ab Immortali natura insculpta, in immortalis intellectu.* Et Tertullianus de Corona militis: *Quæres igitur DEI legem, habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis;* id est in hominum mentibus, sigillo æternitatis confirmatam.

§. VI.

**D**iximus modo, nobis inesse tacitas propositiones quasdam, nosque mediantibus hisce, ad cognitionem honesti & turpis pervenire posse; Hoc tamen non ita accipiendum est, quasi illæ ab Infantibus, ipso actu post nativitatem perfectè statimque exerceantur; sed quod illa, partim per dictamen rationis comparari possint; cum cuilibet homini, maturâ ætate & mente integrâ, superfuerit tantum Naturalis veluti luminis, ut adhibitâ culturâ & meditatione debitâ, communia illa præcepta, & præcipua legis Naturalis capita, faciliè investigare queat; partim, quod isthæc præcepta adeò plana & liquida sint, ut intellectis modo terminis, extemplo inveniant in animis nostris locum & assensum, inque iis adeò inoleant, ut nullus his eradendis, par esse possit: Hac tamen cautela, ut si per totum vitæ curriculum, & à nativitate, hisce submergendis occupemur principiis, tum, ne ad actus exteriores prorumpant honestos, suffocari posse, tuto judi-

judices licet: ubi enim nulla cultura actionum honestarum, ibi incassum expectatur fructus aliquis; Extraque dubium est, quin non talis homo, brutis animalibus evadat deterior; quippe cum brutalia animalia contra injurias frigoris se tueri possint, neque adeò premantur se alendi inopia, cum natura illis prospexerit media, quæ satis superque eorum satisfaciunt conservationi; Homini verò, præterquam quod omnium miserrimus, confestim fame ac frigore esset pereundum; nullæ enim, in locis solitariis, domus, nequè eas sibi fabricare posset, ubi prorsus rationis exoleverit usus. Quid ergo ei facturum? Certe nil aliud nisi pereundum: Et licet antra & virgultas, ritu ferarum, corporis tuendi gratia lubeat; illa tamen arcendis injuriis frigoris, non sufficiunt, & nihil ejus conservationi possunt adferre adjumenti, siquidem ille status, in quem se ultro projecerunt, non est iis à natura constitutus, sed ab ipsis, per negligentiam & aberrationem a lege contractus & acquisitus. Idcirco, quidquid demum eis eo acciderit nomine, habeant quod suæ imputent pravitati, cum suam conditionem potuerint reddere meliorem, & hæc effugere molestias.

§. VII.

Sed cum ejusmodi status, vix ac ne vix quidè citra intersitū humani generis dari poterit, in rerū natura, non est opus, ut in eum inquirendum, tam avidis descendamus animis. Quamvis non negemus, multos extitisse, qui aut expo-

expositi, aut alias à DEO è societate hominum, per aliquod temporis spatium proscripti, vitam non abhorrentem, ab ista brutorum, egerunt solitariam; ut Nabuchodonosor II. cognomento Magnus, qui è regali solio dejectus, post horribilem & inauditam ejus factam metamorphosin, per septem continuos annos, ferarum more, vagabatur per silvas. Dan. 1. Nec non Cyrus, Primus ille Persarum Monarcha, Harpago arcenorum Regis participi, primum occidendus, ab hoc verò Pastori regio Mithridati scilicet, postea exponendus traditus. Just. l. 1. c. 4. Qvin & Gargoris nepos Habides, ex filix stupro proveniens, pudore flagitii, variis generibus morti objectus. Idem. l. 44. c. 4. sed siquidem hi DEI beneficio, non solum ad summam Majestatem iterum iterumque tot periculorum miseratione sunt provecti; ita etiam tot tantisque calamitatibus erepti, suæ rationis consequantur usum; habentes proinde illi, qui in talem conditionem sunt revoluti, quod eorum inhumanitati tribuant, qui illis eandem imposuere necessitatem. Loquor jam de duobus posterioribus Exemplis modo adductis; non vero de Nabuchodonosore; huic enim, quoniam à DEO, admirabilis illa transformatio, in octo præcipuè consistens gradibus, in pœnam ob superbiam illius erat constituta, ita etiam nullam obligationem parit in DEO, utpote qui teneatur reddere rationem, quare eandem ei inflixerit; DEUS enim, quemadmodum omnium existit Creator; ita etiam de Creaturis suis habet disponendi

ponendi facultatem, liberrimam, plenam, perfectissimam, & quidem tantam, ut possit hominem transmutare occidere vel annihilare, sive immediate per se, sive per alios, quippe cum ejus sint, aurum, argentum, imo totus terrarum orbis, quin & nostra vita, voluntati subiecta.

§. VIII.

**P**osita sic breviter & *ὡς ἐν παράδεισῳ* existentia J. N. certitudine, transitum faciamus ad ea, quibus officia ex hoc Jure sive principiis practicis emanantia, ac veluti fructus ex arbore provenientia, dilucidissime probari possunt; hisque aliquamdiu duntaxat immorari placet rebus gravissimis, quoad argumenti gravitati explicandæ, pro instituti ratione, & tenuitate ingenii, quodammodo satisfiat, & ex parte sufficiat.

§. IX.

**E**t siquidem in antecessum haud diffiteri necessum habeam, nonnullos fortè reperiri, qui quamquam noverint in sua conscientia, Legem aliquam dari Naturalem; attamen principia practica, ex eadem propullulantia, vel potius idem quæ ratione essentialitæ cum J. N. sunt, in dubium revocare videntur; quare & nostrum interest, ut illæ quæ, contra hanc nostram assertionem, diriguntur Controversiæ, paucissimis dirimantur; Cumque imprimis quamplurimi sint, qui impio prorsus aulû, sibi imaginantur, principia, quæ omnibus à DEO in prima Creatione asserimus infusa, per lapsum primorum parentum esse penitus amissa; ita illi ipsi hoc potissimum utuntur argumento; Quod perfectio illa, quam homini

D. T. O. M. dedit, simul cum imagine ipsius mutata sit, in summam imperfectionem; unde etiam principia nobiscum nata, quippe cum illa sint particulæ Imaginis Divinæ, pariter interiisse dicendum; idque vel ex eo probari posse putant, quia certo certius experiri liceat, omnem Charitatem, omniaque officia humanitatis, quorumlibet erga quoslibet exercenda, & quidquid virtutis & excellentiæ in statu illo jucundissimo ac amoenissimo, pectoribus hauriebatur plenissimis, ea inquam, omnia versa fuisse in mutuas dissensiones, & odia, ejusmodique generis alia, à natura abhorrentia, dirupisse vitia. Sed nos hanc sententiam minime sibi constare posse dicimus; & quidem præcipuè hac ratione: Quod licet, primò, perfectione homo summa illa in qua, in statu integritatis creatus erat, sit exutus, exindè non statim sequitur, quod hæc principia itidem radicitus sint extirpata sed potius affirmandum ea, hoc modo, vigore totali non esse prorsus destituta; cum alias lex quæcumq; mutata diceretur, ubi vel ob inopiam delinquentium, vel multitudinem in eam peccantium, quasi obligare ea deberet; a qua tamen nemo, nequid quidem solvitur, cum contra illam graviter peccando quid committitur. Et quemadmodum, secundo, in eundem finem lex aliqua plerumq; promulgatur & constituitur, ut sit permanens, ab omnibusque observanda; ita adserere, quod hæc totaliter perierint præcepta & principia practica, quæ suos Legi DEI æternæ natales debent; ( quantumvis etiam propter perversitatem humanã statumque illum in quo homines

nunc

nunc vivunt, quædam putantur exeffisse, quæ J. N. vel reductive vel abusive esse dicuntur) impium & valde blasphemum in tantum Legislatorem est, utpote qui justissimus & Sapientissimus, à quo nos omnes, nostrum esse habemus, omniaque nostra opera eidem accepta sunt ferenda. Quamvis & tertio, hominis Intellectus, cujus ope prima illa principia practica e suis incunabulis non solum eruuntur, sed etiam cujus interna vi, cuncta humanarum actionum molimina diriguntur, per protoplastorum illam labem fuerit adeo depravatus, ut multis in rebus, miris semper modis cespitet & vacillet; ea tamen ruina, non eo usque est extendenda, ut nos connatis omnibus notiis privemur, cum nostris animis inhæreant scintillæ quædam, ut adhibita curâ & debita meditatione, possimus saltm e generalia illa præcepta & principia comprehendere, & quidquid ad vitam, honeste, pie, & pacificè exigendam facit, ex iisdem haurire.

§. X.

**H**is ita expensis, non affirmare vereor, hominum mentibus a natura, moralia quædam inesse dogmata, in eorumq; quâtalium cognitionem, primario & præcipuè per usum lumenque rationis, nos penetrare posse: scilicet, est hocce instrumentum illud commodissimum, quo generalia illa legis innatæ præcepta, ac in ipsâ humanâ promulgata Natura, adplicando divulgamus: ratio etenim accedente usu, in se ipsam reflectere, & quidquid in suo quasi gremio sopitum, aut re-

conditum habet, singulari dexteritate excitare deprimereque valet; Quod dum ita pronunciamus, non est tamen quod quispiam, ipsorum principiorum certitudinem, in dubium vocare audeat, quasi nulla menti humanæ, per cuius usum *f. N.* innotescit, per se insit rectitudo, quippe quæ unicè ex ipsius convenientiâ cum lege, resultare derivarique debeat: cum posita clara ac distincta perceptione, ad quam necessario requiritur terminorum simplicium cognitio, & eorundem inter se collatio, rectaque dispositio; ita ut nec jungantur disjungenda, nec disjungantur conjungenda; remoto quoque temerario ipsius Intellectus assensu, omnibusque demum pensitatis circumstantiis, non poterit non tanta, in deductis illis & formatis, a ratione conclusionibus, adesse veritas, quanta unquam principales illæ ac fundamentales, Legis Naturæ positiones, gaudent certitudine.

§. XI.

Quo autem sapius nominatorum illorum principiorum practicorum certitudo, clarius imo & specialius pateat, placet uno vel altero verbo tria illa officiorum peragere genera, quæ, ad præscriptum Legis innatæ invariable normata, ostendunt, quomodo debeat se gerere homo adversus *DEUM*; quomodo adversus *semetipsum*; quomodo denique adversus *alios homines*. Quod itaque primum atque primum principiorum practicorum objectum videlicet supremum Numen attinet; non est quod dubitemus, quin illa, animos nostros, ad *DEO*  
gra



gratias agēdas, pro immensis illius nobis præstitis beneficiis, comoveant, & alliciant; siquidem, nullam gentem usque adeo extra leges moresque puto esse projectam, ut non aliquos credat Deos; si credit, utique necessum est, ut oriatur metus in corde illius reverentia mixtus, & is, tum ex consideratione potentia illius proveniens, tum ex bonitatis illius memoria, cujus radiis se adeo perfulum esse, cogitur agnoscere, ut non possit non, quin in ulteriorem grati animi testificationem eundem *amet, tanquam* fontem dulcissimas vehementem aquas, & omnis boni auctorem, datoremque; In eum *speret*, utpote a quo omnis illius fluat prosperitas, ut & ejus *voluntati suam Subiciat*, tanquam suaforis omnis boni, directorisque actionum suarum; Quin quoque eum *timeat, tanquam* Dominum ac possessorem omnium quæcunque oculis nostris conspiciuntur rerum, tam illarum, quarum nos cognitionem habemus, quam quæ nos prorsus fugiunt; imò etiam ceu *omnium actionum malarum Justum vindicem*. Denique & ultimo, Ei in omnibus *obsequatur* rebus, tanquam Creatori & patri suo optimo ac benignissimo, qui nunquam vult nos esse desertos, sed omnibus modis nostram procurat salutem, eripiendo nos ex præsentissimis periculis, in quibus nobis alias pereundum esset, nisi paterna sua benevolentia Commotus, singulari suo nobis adsit auxilio.

§. XII.

Ut autem revera & prorsus omni certitudine certius detur summum quoddam Numen, posset & illud quam

plurimis probari, argumentis tum ex contemplatione hujus mundi, tum ex subordinatione causarum, tum etiam ex mutua omnium inter se rerum harmonia, & amico consensu & nexu adductis atque petitis; sed cum singula persequendo, & chartæ huic infigendo, nostra hæc opella, in magnum excresceret volumen; nostri vero instituti ratio solummodo id exposcat, ut simpliciter demonstremus, Tanti Numinis existentiae certitudinem; Idcirco & hoc unicum sufficiat adduxisse, cum illud nobis palmarium esse videatur, nimirum: *quod res aliquas factas esse ostendat sensus, res autem factæ nos ad aliquid non factum deducant: h. e. Res aliquas esse, quæ esse ceperunt, sensu ipso & confessione omnium constat. Eæ autem res, sibi non fuerunt causa ut essent: Nam quod non est, agere non potest; nec ipsa res esse potuit, antequam esset. Sequitur igitur, ut aliunde sui habuerit originem, quod non tantum de illis rebus, quas ipsi aut conspiciamus, aut conspeximus, fatendum est: sed & de iis, unde ille ortum habent, donec tandem ad aliquam causam perveniamus, quæ esse nunquam ceperit, quæque sit, ut loqui solemus, non Contingenter, sed necessario. Hoc autem qualecunque tandem sit, id ipsum est, quod Numinis, aut DEI voce significatur: plura qui desiderat, adeat Hugonem Grotium de Jure B & Pacis. l. 2. c. 10. §. 55. item de verit: Religion: Christi: l. 1, §. 2. seq.*

§. XIII.

**C**ognita sic à naturâ, existentia DEI infallibili atque certissima, iisq; quibus gratitudinem nostram adversus DEUM debemus declarare, enumeratis solum officiis, faci-

facile pari quoque ratione, quid nobismet ipsis pro certo de-  
 beamus, ex eadem primorum principiorum certitudine  
 erui potest, præsertim cum nullus unquam adhuc re-  
 pertus sit, (modo ei rectus rationis usus) qui sub  
 conditione mali, propriam suam destructum iverit  
 naturam, sed hanc eandem omnibus studuerit con-  
 servare modis. Nam insunt nobis efficaces valde à  
 natura stimuli, quorum ductu nobis prospicere pos-  
 sumus optime; imo tenellus insitus est nos conservandi  
 amor, qui nobis omnem in nos sæviendi subtrahit ma-  
 teriam, componendo non tantum illos motus & af-  
 fectus animi, in quos homines quam rapidissime fe-  
 runtur, iisque adeo violentissime agitantur, ut ali-  
 quando & vitam, & officium, & munus turpissime pro-  
 stituant; sed & animos nostros contra eorum incur-  
 siones & invasiones adeo obfirmando, ut licet hisce  
 quam sæpissime concutiantur, tamen debito rationis  
 usu, utcumque isti vehementes sint, semper simus su-  
 periores; adeo ut tantis superatis affectibus, non  
 solum animam nostram bene excolere, sed & corpus  
 nostrum ad sustinendos labores necessarios eosque ali-  
 quando gravissimos, reddere queamus aptum.

§. XIV.

**E**t quidem circa animam excolendam, certum  
 est, quod versari debeamus quam maximè; hæc  
 enim cum sit nobilissima pars compagis humanæ;  
 ita etiam majorem curam & culturam præ reli-  
 quis requirit & expolcit: alias enim, nisi ea bene  
 in-

informetur, actum esset propemodum de corpore: nam quidquid actionis imperatæ, ab anima proficiscitur hominis, id per corporea plerumq; membra effectui datur. Quare maximè nostrum interest, ut à natiuitate bonas artes & disciplinas ritè addiscamus, quibus aliquandò publicæ salutis prodesse possimus. Et licet quam plurimi, varias disciplinas, scientias, & artes, veluti res plane inutiles, vel quatenus supra peritiam qualitercunq; legendi, scribendi, & numeros tractandi exedunt, proscripserint; attamen illorum premere vestigia, non semper tutum, sed sæpe maxime perniciosum, quippe eâ ratione, felices quoscunq; rerum in multis nobis præscindimus successus; quin & instar militis, stationem suam deserentis, proscripti, statu deijcitur nostro, socialisq; ac rationalis vitæ destructores, & inutilia reputamur terræ pondera; siquidem non ut decuit nostri officii peregrinus partes; cum tamen sciamus nos à DEO ideo ( ut nunc de cultu illius religioso nihil dicam ) maximè Creatos.

§. XV.

Verum enimvero, multo nec inferiorem curam requirit corpus, cum illius vires, congruentibus alimentis ac laboribus sint firmandæ, nec intemperantia cibi potusque aut intempestivo, & minus necessario labore affligendæ; sed omni in tempore, contra injurias, quæ nobis à pacis communis turbatoribus, & ejus farinae hominibus, intentari possunt, sint conservandæ, & ita quidem, quemadmodum illas  
no.

nobismet ipsis non dedimus, ita etiam, ut pro DEI beneficio habeantur, necessum est; sed nec ultro & temerè morti objiciendo abrumpendæ; & si iniqua fors ita tulerit, ut quis nobis insidias struat, adeoq; nos aggrediatur integrum nobis sit, naturaliter præcipue, imo & civiliter, si non fuerit occasio invocandi auxilium Magistratus, ejusmodi violentum nostri invalorem, cum ejus maximo repellere malo; & non solum gradu eum turbare, sed & ultima attentare, nisi alias amicè alloqvutus, hostilem suum deponat animum. *Qui vero neglexerit justam hanc sui conservationem exercere, cum poterit; Injurius in suam vitam, ingratus erga patriam audit; adeoque est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat: Cic. L. de off. Cap. 7. 8. 2. quandoquidem eandem plane describere, omittere atque negligere, & Instinctui Naturali, & Legi in prima Creatione, omnium omnino hominum mentibus impressæ, graviter repugnat; quæ lex non scripta, sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas technas, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum inciderit manus, omnis honesta ratio est expediendæ salutis; hoc enim, & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris Natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent.* Idem pro Milone.

**M**agna tamen cautio, circa hanc rem est adhibenda; Et quantumvis omnis læsio consistat, aut in *factis*, aut in *verbis*, aut utrisque, nihilominus ob levissimas injurias, ad extrema tentanda, non promiscuè provolare licet, sed prius causa ad Magistratum deferenda; non enim gladium frustra portat, sed in eundem finem est a DEO constitutus, ut jus & justitiam tribuat, malevolos puniat, eorumque actiones severè inhibeat: Certè, *summa in imperiis potestas est illud vinculum, per quod respublica coheret; ille Spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil per se futura, nisi onus & prada, si mens illa imperii subtrahatur.* Senec. i. Clem. imò, sublata Majestate facile corpori Reipublicæ, gravissimum illud omnium malorum malum, nempe mors & interitus, inferri & intentari, subditiqve reddi inobedientes possunt. Quin etiam nec ulla pestis pejor est *avapxia*; hæc & domos evertit, & claras diu proster nit urbes, ordines turpi fuga conturbat; hominum verò maximos greges servant gubernandi atqve parendi vices.

**R**estat ut jam erga alios homines præstanda, ex pari certitudinis scaturigine, exiguo ingenii nostri urceolo, hauriamus officia; & cum ea, partim ex Communi seu naturali obligatione, partim antecedent-

cedente certo aliquo instituto, aut facto humano, nec non statu quodam adventitio, incitante ac permittente id natura, placidissimè fluant; ita etiam tanto vehementius & acrius, ad ea declaranda, debemus ferri, quanto magis nobis constet, nullam societatem & conjunctionem posse, firmo stare pedamento, absque talium officiorum, necessariorumque invicem rerum Communicatione, anica quoque omnium inter se cohærentia & nexu; In eundem enim finem sumus in hunc transmissi mundum, ut *Conditoris nostri deprædicemus excellentiam, alii aliis inserviando, communesque utilitates inter nos miscendo, tum dando & accipiendo, tum etiam facultatibus nostris ac benevolentia devinciendo nobis hominum cum quibus vivimus, animos.* Cic lib. de officiis. Tantæ consociationis ultimum & firmissimum vinculum est fidei servandæ religio; quam si removeas, tot tantisque exagitur societas mortalium tumultibus, ut nullus his coercendis & sedandis sufficiat, aut necessum sit, ubi illi, ad summum excreverint culmen, ut respublica devastetur penitus; quid quæso? si amicitiarum Jura, non fide, sed utilitate tantum, & ex cujusvis arbitrio, servarentur; Quid inquam? imò nec Regentiæ salus, multo minus aliorum, in tuto esse possit; sane, omnes ad injurias mutuo inferendas essent pronissimi, & variis jactarentur seditionum procellis, quas malitia, facili negotio excitare potest; Cum tamen

quolibet, & ad vitam, & omnia quæcunqve possederint, pro salute unius capituli reddenda, debent esse paratissimi.

§. XVIII.

Valeant proinde omnes, qui vel ex probabili tantum ratione, cui moralia inniti putantur, volunt incertitudinis arguere ipsorum principiorum nobiscum natorum summam stabilitatem; undè nihilominus universam emanare moralitatem, necessum habeant fateri: Namqve, est quidem DEUS in suis actionibus indeterminatus, nullis inclusus cancellis, attamen sua natura est omnino determinatus, non solum ipsemet ad faciendum, sed etiam volendum ac præscribendum Creaturis rationalibus, in Legibus naturæ id, quod bonitate, veritate, & certitudine, super omnia eminent; quomodo ergo ipsa prima illa principia practica aliter se habere poterint, quæ ad ipsum vivum ac divinum omnis certitudinis ac veritatis sunt expressa archetypum: Recte itaqve Zentgravius: *Dantur, inquit, moralia, quorum ratio æque est immutabilis atque natura rerum: Justum sanè & sanctum* ( quibus ceu primariis requisitis principia nobis connata, præcipue absolvuntur ) *cum sint, de immutabili DEI natura, ita quoque quæ in homine ad illam Divinam rectitudinem expressa sunt per se, non opinione, talia esse oportet.*



Denique cum Moralista, duplicis præcipue faci-  
ant mentionem, in doctrinâ morali, certitudi-  
nis, quarum alia dicitur *Juris*, sive legum; alia  
verò *facti*, quapropter nec nos eandem sicco præ-  
tereundam esse pede, consultum ducimus; adeoque  
hic innuimus, longe aliam esse certitudinem, quâ  
quid scitur aliquid bonum vel malum revera esse,  
aliam verò quâ quid creditur, rem se iidem, vel  
bene vel male habere posse; illa semper est Certissima  
& falli nescia, hæc autem, quoniam vel qualicun-  
que præsumptioni, vel probabilibus duntaxat inni-  
titur rationibus, dubitationem aliqualem admittit,  
mentemque circa tales facti quæstiones occupantem,  
in ambiguo quodammodo relinquit. Sic E. G.  
certum, & extra omnem dubitationis aleam est  
positum, quod blasphemia in DEUM, calumnia in  
proximum, violenta manuum illatio in semetipsum,  
sint horrenda, Cæloque execranda scelera: Quod  
verò hic vel ille homo, DEUM blasphemia affe-  
cerit, proximo injuriosè insultaverit, liberum mor-  
tis arbitrium hanc vel illam ob causam ipsemet ce-  
perit, de eo in utramque partem, donec veritas fue-  
rit in lucem exposita, controversiæ terra, sæpius  
reciprocatur.

Sed manum de tabula; quanquam demum multa huic materiæ, ut nobilissimæ, ita & præstantissimæ superaddi possint; tamen hac vice hisce contenti, eum laborem, aliis felicioribus ingenii dotibus egregiè præditis, libenter relinquimus: Quod superest, vota ad Cælum fundamus calidissima, pro incolumitate SERENISSIMI NOSTRI REGIS, REGIÆQUE EJUS DOMUS salute & prosperitate, quo sub sacris tantis auspiciis, pax & religio perpetuò floreat, omnesque de summa felicitate, in licitis quibuscunque negotiis, impense sibi gratulari queant. Claudimus insuper hunc perbreuem nostrum Discursum, quem & Benevolus Lector, licet ab immaturo ad huc judicio profectum, æqui bonique consulat, sequenti hacce doxologia,

*Gloria sit Patri, sit nato gloria Sancto,*

*Gloria Spiritui, Triadi sit gloria sacra.*

T A N T U M.

Etic.

Sticketige och Wällårde  
Herr RESPONDENT,

**H**er JENDERJAN Ebrt Wärd / som  
med snålheet drifwer /  
Och här till priswärdt Prof af Eder Lärdom gifwer /  
Det wisar Noggsamt och hur utan Werlingz Last /  
är wår Naturlig Lag; på sine Grunder Fast.  
Du bbr man billigt Ebr Berdm och Lof: ord lämna /  
Och sådan Witterheet Ebr stora Flijt til nämna /  
Men Tyden biuder mig min Önskan ställa an:  
At sielfwer Himblen täck; gee Lofka JEN-  
DERJAN!!

Således på resande Foot sin  
Her Landz; Man gratulera  
wille

HENDRIK FORBUS.

---

*Politissime & Egregiis Virtutibus*

Ornatissime DN. JENDERJAN!

**I**ndita sunt cuius natura, Semina certa,  
Unde fluunt certa leges praeceptaque certa,  
Auxilio quorum certum dignoscere falso  
Possumus, & certè semper meliora probare,  
Et certum virtutis iter Secretarier omnes.  
CLAUDIUS hic noster certè est imbutus eisdem

*Semi*

*Seminibus certis ; cum leges principiorum  
Natura Certas aperit, conamine Docto:  
Virtuti certa semet probat hicce litasse,  
Gnaviter & studiis se certis invigilasse.  
Ausus Ego tui certi plausum meruere,  
Nec certus quisquam CLAUDI tua facta, sinistrè  
Exponet prudens certè & DEUS ipse secundat.  
Conatus certos, in certum deniqve finem  
Promovet. Et certo ne desine tute favere.*

Tuo  
HENRICO LYRA.

**U**t Apis excerptit dulces ex gramine succos ;  
Sic quoque perbrevis non sine laude facit  
Eunomiæ pullus: quod scripta venusta probabunt,  
Queis hic ad Eunomiæ per juga celsa domum  
Ducit. Quod superest vigeas maneatque perennis,  
Sitque DEUS studiis Anchora fida tuis.

*Ita animatus vobet  
ut debet*

J O H. P E R R A N.

